Quaestiones Aeschyleae.

I.

In Aeschyli fabulis emendandis plerique viri docti ita sunt versati, ut quae singula singulis locis aut sententiae repugnarent aut sermonis rationi aut numerorum concinnitati, corrigerent. Hac fere emendationis via esse procedendum imprimis nostra aetate, cum et sermonis Graeci et Aeschylei generis dicendi usus numerorumque leges summa virorum doctissimorum diligentia atque ingenio sint anquisita, cum omnibus consentio; sed tamen restitisse puto, quae in universum prius inquirenda et diiudicanda essent, quam de singulis locis iudicium faceremus. Quo in numero ea participia mihi videntur esse habenda, quae, cum accedant ad substantiva generis feminini, masculinam tamen habent terminationem; cuius usus haec exempla collecta habeo:

1. Suppl. 190: *πάτερ, φρονούντως πρὸς φρονοῦντας ἐννέπεις* (sc. *Ἱκέτιδας*);
2. Suppl. 196: *ὦ Ζεῦ, κόπων οἴκτειρε μὴ ἀπολωλότας* (sc. *Ἱκέτιδας*);
3. Suppl. 258: *ἔχων δ' ἂν ἤδη τἀπ' ἐμοῦ τεκμήρια* (sc. *ἡ τῶν Ἱκετίδων χορηγός*);
4. Suppl. 868: *εἰ μή τις ἐς ναῦν εἶσιν αἰνέσας τάδε* (*τὶς τῶν Ἱκετίδων*);
5. Suppl. 958: *τοιῶνδε τυγχάνοντας εὐπρυμνῆ φρενὸς* (sc. *Ἱκέτιδας*);
6. Suppl. 988: *ἴτε μὰν . . θεοὺς γανάοντες* (sc. *Ἱκέτιδες*);
7. Agam. 116: *λαγίναν . . γένναν βλαβέντα λοισθίων δρόμων*;
8. Agam. 540: *δρόσοι . . . τιθέντες ἔνθηρον τρίχα*;
9. Cho. 619: *τίων δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων* (sc. *αἱ Χοηφόροι*).

De hoc autem usu Aeschyleo quid statuendum sit, docti mirum quantum dissentiunt; Hermannus cum „indulsisse talia sibi poetas vel metri vel suavioris soni causa" dicat (cf. adnot. ad Agam. 540), Weilius omnes fere istos locos cum aliis difficultatibus, tum maxime hoc de quo agimus participii genere adductus alios mutavit, alios ita explicare, ut offensio tolleretur, studuit. Ipse ea ratione, qua maxime hanc quaestionem confici posse confido, usus primum istos locos singulos examinabo ita, ut illo participii usu neglecto num qua alia exstet difficultas inquiram, tum de iis exemplis, quae praeter istum participii usum nihil habent offensionis, quid sentiam demonstrabo.

1. Suppl. 190: *πάτερ, φρονούντως πρὸς φρονοῦντας ἐννέπεις* M., Wellauer, Hartungius, Hermannus, Oberdickius; Dindorfius formam femininam requirens *φρονοῦσαν* scripsit, Weilius et Kruseus secuti sunt. Praeter hunc generis masculini usum alia in versu offensio non est.

2. Suppl. 196: *ὦ Ζεῦ, κόπων οἴκτειρε μὴ ἀπολωλότας* M., praeterquam quod pro *ὦ* habet *ἰώ*. — *Μὴ ἀπολωλότας* esse idem quod *ἕως ἂν μὴ ἀπολώλωμεν*, et sententia postulat ut censeamus et scholiastam (*μὴ μετὰ τὸ ἀπολέσαι οἰκτειρήσεις* (*οἰκτειρήσῃς* Weil.) *ἡμᾶς*) dicere voluisse patet. — De genere masculino nemo, quod sciam, doctus quid iudicaret exposuit,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nisi quod Weilius haec habet: „Genere masculino, supra (v. 190) bene remoto, hic recte utitur, cum etiam patrem comprehendat.“ At his ipsis verbis nonne Weilius confessus esse videtur, genus masculinum, etsi offensioni sibi esset, tamen cum bene removere non potuisset, quacunque ratione explicare se studuisse? Vellem ei rationi, quam et ipse sensit et sententia requirit, satisfecisset potius, quam praecepto grammaticorum huc non pertinenti abuteretur; non profecto eum fugisset, de nulla re nisi de filiarum fortuna hic agi, de suis ipsas rebus eas timere, non de malo quodam patri secum communi; nam quorsum *ἀπολωλότας* spectet cum alibi tum versu 448 indicatur: *ἐκ τῶν δ' ὅπως τάχιστ' ἀπάγξασθαι θεῶν*; Danaum vero sibi ipsum manus illaturum esse, si filiabus Aegypti filii potiantur, non est huius de quo agimus loci indicare. Participium igitur *ἀπολωλότας* ad nullos nisi ad filias referendum esse censeo.

3. Suppl. 258: *ἔχον δ' ἂν ἤδη τ'απ' ἐμοῦ τεκμήρια* M. G. F. in margine omnes exhibentes *γρ. ἔχουσαν; ἔχουσ' ἂν ἤδη* vulgatum inde a Victorio; Hermannus *ἔχοντες ἤδη* scripsit, quo rex chorum una cum patre eius Danao complecteretur; Heimsoethius *ἔχουσα δ' ἤδη*, Hartungius *ἔχουσ' ἀληθῆ τἀπ' ἐμοῦ τεκμήρια*, quod *τεκμήρια* adiectivo careret. — Antiqui librarii adnotatio marginalis *γρ. ἔχουσαν* i. e. *ἔχουσ' ἂν* emendatio sine dubio est vocis *ἔχον* M. vel potius *ἔχων*, quod participii genus in suo videlicet exemplo cum invenisset scriptum, nomini virginis, quam Pelasgus rex alloquitur, studuit adaptare. Praeter masculinam vero participii formam nihil mihi esse videtur, quod in dubium vocemus. Chorum enim una cum patre appellari oportere, id quod Hermanno visum est, nulla re significatur; nam ubi Pelasgus advenit, Danaus pater usque ad versum 304 nullo verbo commemoratur, nedum ipse quid agat cum rege. Neque vero *ἂν* particulam impugnari licet, quod cum verbo quod vocatur finito dicendum erat: *ἔχοις ἂν ἤδη τ'απ' ἐμοῦ τεκμήρια*. Particula *δέ* autem, quae scholiastae coniectura removetur, apta mihi esse videtur neque ratione eici posse. Genuinae igitur codicum scripturae *ἔχων δ' ἂν ἤδη* nihil aliud obstare mihi videtur nisi masculinum participii genus.

4. Suppl. 868: *εἰ μή τις ἐς ναῦν εἶσιν αἰνέσας τάδε* M. et omnes editores. *Τὶς* sc. *τῶν Ἱκετίδων*.

5. Suppl. 958: *τοιῶνδε τυγχάνοντας εὐπρυμνῆ φρενὸς*
χάριν σέβεσθαι τιμιωτέραν ἐμοῦ M. *Σέβεσθε* G., quod Dindorfius recepit; *ἐν πρύμνῃ φρενός* Hermannus; pro *ἐμοῦ* coniecit Heimsoethius *πρέπει* vel *χρεών*, Hermannus *θέμις*, Schwerdtius *λέγω*; Weilius versum excidisse ratus proposuit: *τοιῶνδε τυγχάνοντας εὐπρυμνῆ φρενὸς χάριν σέβεσθαι [μήποτ' ἐκπεσουμένην δεῖ κἀμὲ καὶ σὲ] τιμιωτέραν ἐμοῦ*; Paleius *τυγχάνοντα πρευμενῆ ... θέμις*, Hartungius *εὖ πρύμνην χθονὸς χρεὼν σέβεσθαι*. — Mea sententia neque versus, qui exciderit, ullum est indicium neque *εὐπρυμνῆ* iusta causa vitii arguitur. Iam vero num viri docti vocem *ἐμοῦ*, qui genitivus comparationis aut pro *ἢ ἐμέ* aut pro *ἢ ἐμοί* (cf. Krueger 47. 27. 1) usurpatus est, suspectam iure iudicarint inquiramus. Tradita autem est codicibus constructio accusativi cum infinitivo quam vocant (*τυγχάνοντας ... σέβεσθαι*), quae si vera est, nisi imperativi loco hic esse non potest. Infinitivus autem pro imperativo adhibitus nominativum subiecti requirit, si secunda, accusativum, si prima vel tertia persona appellatur; cf. Krueger Gr. 55. 1. 5 et Kuehner Gr. § 474 p. 587. Quae cum ita sint, accusativum cum infinitivo grammaticorum legibus hoc loco non esse congruum facile intellegimus inde, quod secundam personam appellari voce *ἐμοῦ* satis perspicuum est. Sequitur, ut aut *τυγχάνοντες* scribendum sit, si *ἐμοῦ* defendatur, aut, si *τυγχάνοντας* servetur, vox *ἐμοῦ* sit emendanda. Quodsi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

τυγχάνοντες pro *τυγχάνοντας* scribimus, haec evadit sententia: „Talia adeptae Argivis honestiorem gratiam habere debetis (non „debemus“), quam mihi“ (non „quam ego“). At haec nullo pacto ferri possunt; nam cum Danaus beneficiorum, quae ante enarravit, ipse maxime sit particeps, quin etiam eo beneficio, quod proxime hunc ipsum locum vehementer laudavit, solus affectus sit, fieri non potest, ut filiae solae propter ea impertita Argivis gratiam habere iubeantur. Relinquitur, ut *τυγχάνοντας* ad filias patremque referamus et alteram emendandi viam ingressi vocem *ἐμοῦ*, quae, quominus *τυγχάνοντας* ita referamus, sola obstat, corruptam ex verbo finito iudicemus. Atque corruptelae emendatio velim aeque certa evadat, atque investigatio evasisse videtur! Nam quae docti coniecerunt (Hermannus *θέμις*, Heimsoethius *πρέπει* vel *χρεών*, Schwerdtius *λέγω*), ut ad sententiam et constructionem quadrant, ita a codicum literis nimis multum recedunt; ipse litera *ν* duplicata propono *τιμιωτέραν νέμω* legendum, quam vocem et coniecturae facilitate et concinnitate sententiae („eorum, qui talia adepti sunt, esse puto gratiam habere“) plerisque probatum iri confido; putandi enim vim subesse voci et Eum. v. 614: *φράζειν Ὀρέστῃ τῷδε, τὸν πατρὸς φόνον πράξαντα μητρὸς μηδαμοῦ τιμᾶς νέμειν* et permulta exempla Sophoclea docent ut El. 150: *νέμω σε θεόν*; 597: *νέμω σε δεσπότιν*; Ai. 1331: *ἐπεὶ φίλον σ' ἐγὼ μέγιστον Ἀργείων νέμω*; Oed. R. 1080: *ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμων*, et eundem usum Hesychius confirmat sub vocibus *νέμει* et *νέμω*, quarum utramque verbo *νομίζειν* explicat. Id unum forsitan aliquis in hac coniectura reprehendat, quod *νέμω* cum infinitivo constructum non reperiatur; sed cum huic constructioni vis verbi non repugnet, usum minus curo. — De comparativo *τιμιωτέραν* per se posito cf. Krueger 49. 6. — Ita participium *τυγχάνοντας* ad filias patremque relatum offensionem non habet.

6. Suppl. 988: *ἴτε μὰν ἀστυάνακτας μάκαρας θεοὺς γανάεντες* M. Hermannus *γανάεντες* in *γανάοντες* correxit, quod litera *ᾱ* ante — *εις* non poneretur, nisi esset pars radicis. Weilius masculino genere uti Danaidas arbitratur, quod Danaus eiusque comites in agmine adsint. Sed ut sint in agmine, quod sane Weilio demonstrandum erat, non sunt in choro, neque eorum est deos celebrare (*θεοὺς γανάοντες*), id quod Danaides famulas suas hortantur. Participium igitur ad Danaidum famulas referri puto.

7. Agam. 116: *βοσκόμενοι λαγίναν ἐρικύματα φέρματι γένναν,*
βλαβέντα λοισθίων δρόμων M.

ἐρικύμονα φέρματι Bess., *ἐρικύμονα φέρβοντο* Victorius ex Flor. Farn. (Hermann). Scholiastes adnotavit *λαγίναν γένναν τὸν λαγῶόν. πολυκύμονα* et *πρὸς τὸ σημαινόμενον τὸ βλαβέντα.* Hermannus scripsit *ἐρικύμονα φέρματι γένναν* et ad *βλαβέντα* intellegendum esse *λαγῶόν* putat; Seidler *ἐρικυμάδα*; Schneidewinus *λαγίναν, ἐρικύμονα φέρματα, γένναν* („quae gravida ablata est“); Prienius *λαγίνας ἐρικύματα φέρματα γέννας*, Schoemannus *ἐρικύμονα*; Weilius *λαγίναν, ἐπὶ κυμάδι φέρματα, γένναν* („cum matre gravida fetus”); Ahrensius *λαγίναν, ἐρικύμονα φέρμα τε, γένναν* („pergravidam matrem et fetum”); Keckius *λαγίναν, ἐρικύμονα φέρματι γέντα, βλαβέντα λοισθίων πόνων* „verzehrend den Hasenfrass, den durch Leibesfrucht hochgeschwellten Bauch, der um die letzten Wehn gebracht.” Ut iam ipse quid sentiam de hoc loco omnium vexatissimo dicam, aperte vitiosum est *ἐρικύματα*; adiectiva enim in — *ας, ᾰτος* terminantia frustra (apud Kuehnerum quidem) quaesiveris; quod restituendum videatur vocabulum, et deteriores codices indicant et scholiastes, cum per *πολυκύμονα* explicat, confirmat, quem *ἐρικύμονα* legisse plerique viri docti consentiunt; Seidleri igitur coniectura *ἐρικυμάδα* ex Hesychii *κυμάδας· ἐγκύους* ingeniose hausta opus non est. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Iam vero quid de codicum lectione vel explicanda vel emendanda iudicem ut proferam: primum scholiastae non adstipulor in eo, quod *λαγίναν ἐρικύμονα φέρματι γένναν* idem esse vult quod *ἐρικύμονα φέρματι λαγῶόν*; nam *λαγίναν γένναν* „leporinum genus“ matrem quidem una cum fetu, non solam matrem significare, Keckius iure monet. Cum eodem deinde viro consentio, appositionem, id quod nonnulli viri docti ut Schneidewinus, Weilius, Ahrensius voluerunt, inter adiectivum et substantivum poni non licere. Postremo vere mihi videor esse dicturus, *ἐρικύμονα* aptius ad matrem gravidam, quam ad fetum matrem gravidam reddentem referri; mater enim tumida, fetu extenta bene dicitur, fetus non item, nisi per traiectionem, quam vocant, id quod matris est, fetui in matris alvo abdito tribui velis. Positis his et concessis, illisne emendationibus nulla voce proiecta factis, quas plerasque supra attuli, aliam, quae melius sententiae, sermoni, rationi satisfaciat, addi posse confidis? Equidem vocabulis cum diligentia examinatis non potuisse me fateor ullam invenire, sed aliquod vocabulum corruptum esse verisimillimum puto. Quod sit vocabulum, facile est intellectu; nam cum *λαγίναν*, *ἐρικύμονα*, *φέρματι* vitiosa iudicare eo ipso vetemur, quod sunt vocabula ad ipsam sententiam necessaria, in uno *γένναν* iure offendimus. Eandem hanc vocem Keckius quoque vel iisdem vel aliis de causis impugnavit et, cum *γέντα* scripsit, lectionem maxime probabilem restituit, in qua et ipse acquiesco et fore ut plurimi Aeschyli existimatores acquiescant confido. Cf. Hesychii *γέντα· κρέα, σπλάγχνα* et Suidae *γέντα· μέλη. γέντα βοὸς μέλδοντες. Καλλίμαχος.* — *Βλαβέντα* igitur, quod nunc ad *γέντα* referendum est, recte usurpatur. — Ad *βοσκόμενοι λαγίναν* (sc. *βοράν*) explicandum et defendendum Keckius tria exempla ex hac una Agamemnone attulit, v. 206: *πνέων τροπαίαν* (sc. *πνοήν*); 1014: *θυραίαν τρίβειν* (sc. *τριβήν*); 1610: *ζεύξω βαρείαις* (sc. *ζεύγλαις*). — In versu proximo *δρόμων* aut emendandum est, ut Keckius *πόνων* coniecit, aut de partu leporis interpretandum; utra praestet ratio, nondum est certum; certum hoc tantum est inter viros doctos huius aetatis, Hermanni interpretationem „cum iam in eo esset, ut effugeret lepus impetum aquilarum“ nullo pacto servari posse (cf. Klausen-Enger ed. II).

8. Agam. 538—40:

ἐξ οὐρανοῦ γὰρ κἀπὸ γῆς λειμωνίαι
δρόσοι κατεψέκαζον, ἔμπεδον σίνος
ἐσθημάτων, τιθέντες ἔνθηρον τρίχα. M.

Victorius ad *ἔμπεδον σίνος* adnotavit hoc scholium: *τὸ ἑδραῖον, ἤγουν τὸ περιβεβλημένον ἡμῖν κάλλος.* — Porsonus *γάρ* in *δέ* mutavit; *λειμωνίαι* Flor. Vict., *λειμώνιαι* Farn., *λειμωνίας* Schuetzius. Pro *δρόσοι* M. Schmidtius coniecit *πρῶκες*, Keckius *βρεγμοί*. Pro *κατεψέκαζον* Dindorfius scripsit *κατεψάκαζον*. Pro *ἔνθηρον τρίχα* coniecit Stanleius *ἀνθηρὸν τρίχα*, Meinekeus *ἔγκηρον χρόα* (i. q. *ἐπίκηρον*). Hartungius scripsit: *ἐξ οὐρανοῦ δὲ κἀπὸ γῆς λειμωνίας δρόσῳ κατεψέκαζον, ἔμπεδον πίνον ἐσθημάτων τιθέντε κἀνθηροῦ τριχός* (in exemplari sunt duo errores typothetae *δρόσῳ* et *κἀν θηροῦ*); Weilius postremo *δρόσοι κατεψάκαζον ἔμπεδον σίνος ἐκθυμάτων, τιθέντες ἀνθηρὸν χρόα*, quem Keckius sequitur, nisi quod *ἔμπεδον σίνος* ut appositionem lineolis secludit. —

Vera emendatio est Schuetzii *λειμωνίας*, praesertim cum ad meliorum codicum lectionem *λειμωνίαι* proxime accedat. Iure Dindorfius quoque quod in libris est *κατεψέκαζον* mutavit in *κατεψάκαζον*, quia illam formam Phrynichus (cf. Bekkeri Anecdota Graeca) non esse Atticam docet. — Ceterum nobis optio data est inter duas lectiones, codicum dico et scholiastae; quem alia habuisse, atque quae codicibus vulgo traduntur, primo oculorum obtutu

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

videmus. Sed utra praeferenda esse videatur ut iudicemus, codicum lectio recensenda, scholiastae investiganda est.

Atque verborum libris manuscriptis omnibus vulgatorum haec est constructio: ἐξ οὐρανοῦ δὲ κἀπὸ γῆς λειμωνίας δρόσοι κατεψάκαζον, ἔμπεδον σίνος ἐσθημάτων (ὄντες vel potius οὖσαι καὶ) τιθέντες ἔνθηρον τρίχα „a caelo et a prato rores destillabant, quae erat perpetua vestimentorum noxa, capillos reddentes efferatos, i. e. vestimenta perpetuo corrumpentes et capillos reddentes efferatos.“ Hanc esse verborum constructionem inde apparet, quod, si verbo κατεψάκαζον, id quod exemplis probatur, transitivam aspergendi vim tribueremus, cuius obiectum esset ἔμπεδον σίνος ἐσθημάτων (δρόσοι κατεψάκαζον σίνος ἐσθημάτων, τιθέντες ἔνθηρον τρίχα), constructio ea ratione variata esset, ut pro verbo finito καὶ ἐτίθεσαν participium poneretur, quem usum ferri non posse postea ad Cho. 619 demonstrabimus. Sed in hac constructione mihi videtur reprehendi posse primum, quod verbi καταψακάζειν significatio est intransitiva, cum transitiva exemplis comprobetur; deinde quod ἀπὸ γῆς λειμωνίας κατεψάκαζον (destillabant) minus apte dictum esse videtur de humore, qui humo levatur (cf. Keck p. 302); accedit quod altera pars appositionis (quam Krueger 57. 9 paratheticam appellavit) non substantivo (verbi gratia ἀπαγρίωσις τῆς τριχός), quod exspectamus, sed participio (τιθέντες) adiungitur, cuius usus simile exemplum invenire non potui. Quodsi codicum verba retinenda esse videantur, omnia ea, quae reprehendenda esse censui, sermoni ad quotidianam consuetudinem propius accedenti, quem nuntii famulique Aeschylei adhibere solent, tribuenda sint. Atque haec quidem de significatione verborum et constructione. Sententiam vero, quam maxime viri docti (atque praecipue illud τιθέντες ἔνθηρον τρίχα) non tam iustis causis, quam ioco et ludibrio impugnaverunt (cf. Hartungii ed.), equidem iniuria ab Aeschylo esse abiudicatam mihi persuasi neque prius opinione desistam, quam illi viri versus, qui sunt in Choephoris 740—48, ut Aeschylea sublimitate indignos iustas ob causas deleverint. At sententia in universum probata remanent tamen illae tres quas supra diximus difficultates neque codicum lectionem missam facere dubitabo, si ea lectio, quam scholiastes Victorianus secutus est, modo eam recte investigaverimus, praeferenda esse videbitur.

Scholiastam autem alia habuisse atque codices, ex hac argumentatione elucet. Ἔμπεδος est aut id quod stat, firme rei inhaeret vel adhaeret, ut ἔμπεδον τεῖχος, μένος, aut id quod permanet, perpetuum est, exempli gratia ἔμπεδος φυλακή, κομιδή, πόνος. Ἔμπεδον σίνος ἐσθημάτων autem nihil aliud esse potest nisi „(rores) perpetua vestis noxa“, non „firme vesti inhaerens.“ Contra scholiastes, qui codicum ἔμπεδον explicavit per ἑδραῖον, sine dubio ἔμπεδον esse voluit id quod firme rei inhaereat, adhaereat; quae res cum vestis esse non possit, ut supra diximus, pro ἐσθημάτων aliud in suo exemplari legit vocabulum. Idem ex altera interpretamenti parte, etsi aperte corrupta est, cognoscitur; nam τὸ περιβεβλημένον ἡμῖν (κάλλος) non vestem, qua induti sint milites, sed aliam rem, quam eorum corporibus humor et aetherius et terrester circumdederit, videtur significare. — Quam scholii partem Hartungius ita ut τὸν περιβεβλημένον ἡμῖν πηλόν pro τὸ . . . κάλλος scriberet, et Keckius, ut vocabulum adderet ἤγουν (φθεῖρον) τὸ περιβεβλημένον ἡμῖν κάλλος, restituere conati sunt; sed cum hic parum apte „pulchritudinem corpori circumdatam“ tolerarit, illius coniectura non prorsus inepta mihi quidem videtur esse, etsi vera scholii scriptura sine dubio non restituitur. Nam idem Hartungius, qui scholii vocem κάλλος in πηλόν mutavit, et ipse pro codicum lectione σίνος scribere πίνον cogebatur, ita ut scholiastam ἔμπεδον πίνον explicavisse

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

per *τὸν ἑδραῖον*, *ἤγουν τὸν περιβεβλημένον ἡμῖν πηλόν* statueret; scholiastam vero adiectivum, cui suum substantivum quam proxime adscriptum esset (*ἔμπεδον πίνον*), ita unquam explicaturum fuisse non puto, ut ipsum substantivum per se perspicuum pluribus verbis ad vim adiectivi explanandam describeret. Sed mea sententia, qui codicum *ἔμπεδον σίνος* genuinum duco, altera interpretamenti parte, quae vis voci *σίνος* (noxa) per se non perspicuae et clarae subesset, scholiastes edocere atque talem noxam fuisse circumdatam corporibus militum dicere voluit. Sed unde, qualis fuerit illa noxa, comperisse putandus est? Ex versu haud dubie qui sequitur: *ἐσθημάτων τιθέντες ἔνθηρον τρίχα* M. At hoc versu, qualis in codicibus legitur, ea noxa non continetur, nisi forte *τρίχα*, quod qui statuerent non defuerunt, de vestimentorum capillis inepte dictum voles („capillos vestimentorum reddentes efferatos"); itaque hac quoque argumentatione *ἐσθημάτων* scholiastam non habuisse demonstratur. — Iam vero quodnam pro *ἐσθημάτων* restituendum esse videatur vocabulum, ut inquiramus, scholiasta ne in hac quidem re nobis deest; nam quae noxa militibus circumdata maneat, morbus esse videtur per longum temporis spatium cuti inhaerens. Quod si vere ita se habet, pro certo affirmare non dubito, eam vocem legisse atque explicavisse scholiastam, quam Weilius ingeniosa coniectura assecutus est, *ἐκθυμάτων*; atque hanc esse genuinam lectionem verisimillimum fit inde, quod literae vocis *ἐκθυμάτων* eaedem fere sunt atque vocis *ἐσθημάτων*; *ἐκθυμάτων* autem restituto eiusdem illius Weilii *ἀνθηρὸν χρόα* quoque pro *ἔνθηρον τρίχα*, non minus literarum similitudine probata, et requiruntur et commendantur. De morbi illius natura Keckius haec habet: Und was die *ἐκθύματα* betrifft (die Hesych durch *ἐξανθήματα* erklärt), so ist es nicht nur eine bekannte medicinische Erfahrung, dass das Lagerleben der Soldaten durch die viele Nässe eine Menge von Hautkrankheiten, namentlich Pusteln und Karbunkeln, erzeugt, sondern eine Spezies dieser Krankheit führt auch noch in der Wissenschaft den Namen Ekthyma. — Quodsi mecum consentias, in scholiastae exemplo ea fuisse, quae Weilius summo ingenii acumine suspicatus est, ipsum quoque illud scholium, quo duce veram lectionem indagasse nobis videmur (nam demonstrare eam esse vere Aeschyleam atque Medicei lectioni multum praeferendam supersedeo) emendare posse mihi videor; conicio enim pro *κάλλος* scriptum fuisse *ἄνθος*, quo vocabulo Hippocrates uti solitus est pro *ἐξάνθημα*, *ἔκθυμα*. Fieri enim potest, ut scholiastam rarior hic usus praeterierit atque pulchritudinis vis usitatissima subesse visa sit; fortasse *ἀνθηρόν* quoque, quod in proximo versu legitur, nescio quomodo illum errorem vel movit vel fulsit. — Restat ut constructionem illorum verborum explicem, quae Weilius genuina esse suspicatus in contextum recipere non est in summa sua audacia ausus, quae Enger (ed. II ed. Gilbert) ne coniecturarum quidem numero attulit, item Schneidewinus (edit. II ed. Hense) et Klausenius (ed. II ed. Enger), nisi quod hi *ἀνθηρὸν χρόα* attulerunt, quam egregiam emendationem Keckius solus, quantum scio, sensu magis quam ratione comprobavit, atque suo iure in verborum contextum recepit. Construenda autem mihi verba et distinguenda ad hunc modum videntur:

ἐξ οὐρανοῦ γὰρ κἀπὸ γῆς λειμωνίας
δρόσοι κατεψάκαζον ἔμπεδον σίνος,
ἐκθυμάτων τιθέντες ἀνθηρὸν χρόα:

„aetherii enim et terrestres rores noxam inhaerentem aspergebant, reddentes cutem obrutam scabie;" in haec enim verba atque ita distincta optime scholium illud convenire puto; nam scholiastes ubi *ἔμπεδον* per *ἑδραῖον* explicavit, pergit *ἔμπεδον σίνος*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

explicare atque id proximum versum respiciens per *ἤγουν τὸ περιβεβλημένον ἡμῖν ἄνθος*. Weilii autem rationem, qui post *ἐκθυμάτων* distinxit, merito Keckius, quod apta sententia careret (denn die Nässe macht die Haut nicht „blühend"), redarguisse mihi videtur; ipsius autem Keckii, qui *ἔμπεδον σίνος* ut appositionem lineolis seclusit et *χρόα* esse obiectum ad *κατεψάκαζον* statuit, non minus refutanda est („Regen und Tau besprengten, ein tief sich einfressendes Verderben, unsere Haut, sie voll von Geschwüren machend); ordinem autem verborum tam contortum et implicatum ut statueret exemplis, quibus transitivus verbi *καταψακάζειν* usus demonstratur, commotus esse videtur; cf. Plut. Alex. 35: *στενωπὸν ἐλαφρῶς τῷ φαρμάκῳ κατεψέκασαν* et Geopon. 5. 39. 2: *τὰς ἀμπέλους καταψεκαστέον*. Sed ut Latini dicunt aspergere et alicui aliquid et aliquid aliqua re, sic Graeci verba similia, atque ea verba, quibus pro *καταψακάζειν* vulgo utuntur (*ῥαίνειν, ἐπιῤῥαίνειν* etc.), construere consuerunt *τί τινι*; nulla igitur est offensio, si dicitur *κατεψάκαζον ἔμπεδον σίνος*. — *Ἀνθηρόν* cum genitivo iungi licere iure Keckius contendit. —

9. Cho. 619. Tota stropha in M. sic est scripta:

ἐπεὶ δ' ἐπεμνασάμην ἀμειλίχων
πόνων, ἀκαίρως δὲ δυσφιλὲς
γαμήλευμ' ἀπεύχετον δόμοις
γυναικοβούλους τε μήτιδας φρενῶν
ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ
ἐπ' ἀνδρὶ δηίοις ἐπικότῳ σέβας
τίων δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων,
γυναικείαν ἄτολμον αἰχμάν.

Pro *ἀκαίρως δέ* coniecit Botheus *ἀκραίως δέ*, Bamberger *καρανῶ δέ*, Hartungius *μεγαίρω δέ*, Weilius *παρήσω δέ*; *τίων δέ* mutavit Stanleius in *τίω δέ*, Franzius in *τί φῶ δέ*, Weilius in *τίουσ'*; versum 618 in medio relinquo, quod neque probabili emendandi ratione eum sanare potui, et ad hanc quaestionem conficiendam nihil pertinet; Hermanni coniecturas postea afferam, cum dicam, qua sententiarum cohaerentia haec stropha cum proximis coniungatur et ordinem strophae γ et antistrophae γ mutandum esse demonstrabo. — Atque hanc de qua agimus stropham vitiis non carere, nemo est, quin videat; primum enim languere liquet *ἀκαίρως*; intempestive enim initum esse Clytaemnestrae et Aegisthi conubium, vehementer indignantes non clamant, sed leniter monent. Deinde, quae est summa huius strophae difficultas, apodosis verbum quod dicitur finitum deest. Scholiastes quidem ad *γυναικοβούλους τε μήτιδας φρενῶν* adnotat *λείπει εἰργάσατο*; concedendum sane est, saepius Graecos ita adverbiis uti, ut verbum finitum non positum facile cogitando addant, ut *ὡς εὐτυχῶς* (sc. *ἐγένετο*), *ὅτι οὐκ ἐλήφθην ἔνδοθεν*; *εὖ γε* (sc. *ἐποίησας*), *ὅτι ὀρθοῖς τὸν πατέρα*, cf. Krueger 62. 3. 4. Sed adverbia hac ratione usurpata ne contuleris ad eum de quo agimus locum interpretandum; facile enim cum in nostro sermone tum in Graecorum ad solum adverbium suppletur verbum, cuius notio sit generalis, ut *γίγνεσθαι, ποιεῖν*; sed necessarium est verbum finitum, si non modo adverbium, sed etiam obiectum (*δυσφιλὲς γαμήλευμα*), quo referendum sit indicari oportet. Postremo fuerunt, ut Hermannus et Weilius, qui duos versus ultimos de domo viro orbata et de imbelli mulierum imperio dici interpretarentur ita, ut viris vel potius populo indignum esse mulieris dominatum chorus significaret. Sed ego, qui scholiastae (*ἀθέρμαντον· ἀθράσυντον*) adstipulor, ad Clytaemnestrae nefarium facinus dominatumque, dum vir aberat, ita respici puto, ut fides in maritum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

non violata et mulieris consilia factaque (*αἰχμάν*) ab audacia aliena dicantur esse colenda; *αἰχμά* enim cum ea vi invenitur Ag. 462: *γυναικὸς αἰχμᾷ πρέπει πρὸ τοῦ φανέντος χάριν ξυναινέσαι*, quo loco non tam imperium, quam consilia factaque libere inita significantur: „mulier, cui aliquid ipsi administrandum est, facile incerta pro certis habet" (H. L. Ahrensius in Philol. Suppl. I. 539 vocem *αἰχμή* non solum esse statuit hastam, imperium, sed etiam idem quod *ὁρμή*, *ὀργή*; cf. Klausen-Enger ad h. l.). Eadem ratione eo de quo agitur loco interpretandum est: „cum mulieri aliquid ipsi faciendum est, colo consilia factaque, quae ab audacia et telis abhorreant"; chorus igitur, quod ad tela et caedem Clytaemnestra descenderit, reprehendit. Iam vero vocem *ἀθέρμαντος* esse „non audax", non, quod Hermannus et Weilius voluerunt, „frigidus, igne Agamemnone exstincto carens" („nam focus, cuius ignis ab ignavo et scelerato Aegistho accenditur, non est focus familiaris, quem servi pie colant." Weil), et a scholiasta discimus et inde, quod *θερμαίνω* saepius apud alios eiusdem aetatis scriptores, apud Aeschylum Ch. 984, *θερμός* Sept. 584 et Eum. 549 figurate usurpantur, ipso autem conexu haec notio desiderari videtur. — Quam meam versuum illorum interpretationem si veram iudices, probabili ratione emendationem processuram esse confido. *Δυσφιλὲς γαμήλευμα* enim et *ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων*, deinde *γυναικοβούλους μήτιδας φρενῶν ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ* et *γυναικείαν ἄτολμον αἰχμάν* esse inter se opposita neminem fugiet; quodsi obiecta inter se opposita sunt, verba quoque opposita fuisse verisimillimum est. Sequitur, ut tale verbum finitum ad *δυσφιλὲς γαμήλευμα* restituamus, quod verbo *τίων* sit oppositum, i. e. cui odii vis subsit. Hoc autem ubi et qua ratione restituendum videtur? Locum demonstravimus, cum *ἀκαίρως* languere diximus; emendandi vero rationem maxime probari censeo eam, qua literae spuriae vocis *ἀκαίρως* minime mutentur; nam hoc mendum nisi scribae errore ortum esse non potest. Neglectis igitur Weilii et Hartungii coniecturis ipse pro *ΑΚΑΙΡΩΣ* legendum esse puto *ΑΧΝΑΖΩ*, quod verbum Etym. M. explicat per *ἄχθεται*, *μισεῖ*, *ψέγει*. — Sed alia iam quaestio est, num *τίων δέ* pro *τίω δέ* servari possit. Atque Graecos magna eos quidem uti enuntiatorum construendorum libertate, ita ut iusta constructione omissa similis quaedam alia adhibeatur, et Krueger 59. 2 et Kuehner § 490 pag. 657 docent; sed huius usus, cuius proprium est, verbo finito carere, habere participium, Krueger mentionem non facit, Kuehner duo affert exempla Herod. 1. 116: *καὶ κατέβαινε ἐς λιτάς τε καὶ συγγνώμην ἑωυτῷ κελεύων ἔχειν αὐτόν* et Xen. Cyr. 1. 3. 1: *ἔρχεται αὐτή τε ἡ Μανδάνη πρὸς τὸν πατέρα καὶ τὸν Κῦρον ἔχουσα.* Sed tamen horum exemplorum natura non est ea, ut participium pro verbo finito usurpatum nihil pendeat ab illo verbo finito, quod est in priore utriusque exempli parte; contra participium pendere mihi videtur aliquo modo ab illo verbo finito, ut in exemplo Herodoteo *κατέβαινε ἐς λιτάς τε καὶ κατέβαινε εἰς κέλευμα* et in exemplo Xenophonteo *ἔρχεται αὐτή τε καὶ ἔρχεται τὸν Κῦρον ἔχουσα*; *κελεύων* igitur pendet a *κατέβαινε*, sed eadem in enuntiato est condicione eodemque loco quo *λιτάς*, et in altero exemplo *ἔχουσα* pendet id quidem ab *ἔρχεται*, sed particula *καί* copulatum est cum *αὐτή*. — Itaque cum satis mihi demonstrasse videar, participium pro verbo finito illa ratione usurpatum non reperiri, *τίων δέ* corrigendum esse puto in *τίω δέ*, id quod Stanleius iam antea coniecerat.

Quoniam igitur eos locos, quibus participia libris manuscriptis tradita sunt, quae ad nomen femininum pertinentia masculina tamen sunt terminatione, sine studio, ut nobis videmur, examinavimus, haec restant exempla, quorum nihil aliud nisi singularis ille usus proprium est:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

1. Suppl. 190: *πάτερ, φρονούντως πρὸς φρονοῦντας ἐννέπεις* (sc. *πρὸς Ἱκέτιδας*);
2. Suppl. 196: *ὦ Ζεῦ, κόπων οἴκτειρε μὴ ἀπολωλότας* (sc. *Ἱκέτιδας*);
3. Suppl. 258: *ἔχων δ' ἂν ἤδη τἀπ' ἐμοῦ τεκμήρια* (sc. *ἡ τῶν Ἱκετίδων χορηγός*);
4. Suppl. 868: *εἰ μή τις ἐς ναῦν εἶσιν αἰνέσας τάδε* (*τὶς* sc. *τῶν Ἱκετίδων*);
5. Suppl. 988: *ἴτε μὰν ἀστυάνακτας μάκαρας θεοὺς γανάοντες* (sc. *Ἱκέτιδες*);
6. Agam. 540: *δρόσοι . . τιθέντες ἀνθηρὸν χρόα.*

Atque Kuehner § 371. 2 pag. 74 similia alia contulit exempla, sed eiusmodi pleraque, ut una mulier de se ipsa utatur plurali numero generis masculini, ut Antigona apud Sophoclem (Ant. 926) de se haec dicit: *παθόντες ἂν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες* etc. Sed hoc usu nullum Aeschyleorum exemplorum excusatur; nam Supplicum versus 190 et 196 ita explicare vetamur eo, quod pluralis numerus ad totum chorum, non ad solam chori ducem refertur. Unum tamen Aeschyleis exemplis aliquomodo similem locum Kuehner attulit Eur. Hipp. 1105: *ξύνεσιν δέ τιν' ἐλπίδι κεύθων λείπομαι ἔν τε τύχαις θνατῶν καὶ ἐν ἔργμασι λεύσσων*; scholiastes poetam sua hoc loco verba attulisse, non chori ducis, excusat; sed ut iure excusaverit vereor. — Hoc tamen constare puto, eum de quo agimus participii usum Aeschyleum iniuria negari neque iustam emendandi causam exstare.

Praeter illa quae examinavi participia adiectivum quoque *ἀνεμόεις* in Cho. v. 585 ratione eadem, qua illa participia invenitur iunctum, et cum ad hanc quaestionem pertinere putarem, examinare constitui. — Ex coniecturis Schuetzii *γὰρ* M. in *γᾶ* mutantis et Heathii *καί* post *δεινά* delentis priores huius strophae versus sic vulgo scribuntur: *πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει δεινὰ δειμάτων ἄχη.* Mox Hermannus *βρύουσι· πλάθουσι καὶ* pro *βροτοῖσι πλάθουσι βλαστοῦσι καὶ* scripsit, ut responsionem cum antistropha restitueret; eadem de causa Dindorfius *βροτοῖσι· πλάθουσι καί.* Insequentis versus *πεδάοροι* pro *πεδάμαροι* M. a Stanleio scriptum et scholiastes (*οἶμαι πέδουροι, ἵν' ᾖ τὸ σημαινόμενον μετέωροι*) et omnes docti comprobaverunt. Ipsam de qua agimus formam masculinam omnes retinuerunt, nisi quod Blomfieldius *κἀνεμόεντ' ἂν αἰγίδων φράσαις κότον* coniecit; sed constructionis gratia Hermannus scripsit *πεδοβάμον' ἀπ' ἀνεμοέντων* et Franzius *πεδοβάμον' ἂν ἀνεμοέντων.* — Legendum esse *πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει δεινὰ δειμάτων ἄχη* et *λαμπάδες πεδάοροι* cum omnibus consentio. Difficilius est diiudicare, utrum quinto versui vocabulum huius formae — — ⏑ adimamus (*βλαστοῦσι* aut *πλάθουσι*), an versui antistrophico addamus; sed quia haec mihi cum altera quaestione cohaerere videtur, praestetne, *ἀνεμοέντων αἰγίδων φράσαι κότον* ad ea quae antecedunt referri an haec verba veri enuntiati loco putemus esse dicta: in universum necesse est disputare, quae verba coniungenda esse sententiarum ratione vel aliis de causis adducamur. Atque dubitare adhuc dixi viros doctos, utrum verba *ἀνεμοέντων αἰγίδων φράσαι κότον* ad superiora referenda, an ipsa enuntiati loco ducenda essent. Mea quidem sententia quaestio scholiis expeditur. Ad verba enim Medicei corrupta *πολλὰ μὲν γὰρ τρέφει δεινὰ καὶ δειμάτων ἄχη* hoc scholium invenitur adscriptum: *πολλὰ τίκτει ὁ ἀὴρ ἐκ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος πτηνὰ καὶ ἑρπετά· εἰσὶ γὰρ ὄφεις ἐξ ἀέρος πίπτοντες*; sed hoc interpretamentum sine dubio pertinet ad v. 583 *βλαστοῦσι καὶ πεδαίχμιοι λαμπάδες κτέ*; ad haec autem ipsa codicum verba scholium adscriptum est *αἱ μεταξὺ γῆς καὶ οὐρανοῦ λαμπάδες, τοῦτ' ἔστιν ὁ ὑπὸ ἡλίου φωτιζόμενος ἀήρ.* Ad eadem igitur poetae verba duo interpretamenta exstant, alterum suo loco positum, alterum ad verba corrupta explicanda adscriptum. Age vero ambo interpretamenta num tribuenda esse censes ei scholiastae, qui Medicei scholia scripsit? Num cogitari potest, eum de suo sumpsisse, quo verba corrupta neque a se intellecta illustraret, cum ad alia verba

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pertineret? Equidem non modo comprehendere animo, sed ne suspicari quidem possum, suum ipsius interpretamentum quemquam alieno loco ponere, multo minus loco corrupto. Sed scholiastes illud interpretamentum, quod prius laudavimus, aliunde mea quidem opinione sumpsit, ab Alexandrinorum videlicet doctrina, atque ad ea verba pertinere arbitratus est, quae ipse explicare non potuit. At errore sua verba alieno loco posuit! Crederem forsitan, nisi eo loco, ubi illud scholium esse debebat, aliud inveniretur magnam partem illi simile; eadem autem verba dupliciter, et suo loco et alieno, explicavisse non est putandus. — Quodsi ita est, ad verba poetae explicanda nihil Alexandrino illo scholio potest esse maius; explicantur autem codicum verba hoc modo: *πολλὰ τίκτει* (*βλαστοῦσι* M.) *ὁ ἀὴρ ἐκ τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος* (*πεδαίχμιοι λαμπάδες πεδάορροι* M.) *πτηνὰ καὶ ἑρπετά* (*πτανά τε καὶ πεδοβάμονα* M.); sequitur primum, ut *βλαστοῦσι* deleri non liceat, deinde ut *πτανά τε καὶ πεδοβάμονα* obiecta esse censeamus ad *βλαστοῦσι* (de transitiva huius verbi atque imprimis aoristi primi significatione vide lexica). Iam verba *κἀνεμοέντων αἰγίδων φράσαι κότον* enuntiati loco esse habenda, et scholio *ἐννόησον* et Alexandrino scholiasta, quem *καὶ ἀνέμους* additurum fuisse verisimile est, si illa verba ad *βλαστοῦσι* referri censuisset, demonstratur; accedit, quod veteres Graeci beluas quidem, non ventos ab aura sole nutrita gigni putabant. — Itaque si ea verba veri enuntiati loco dicta sunt, verbum finitum *φράσαι* nihil aliud nisi imperativus medii, id quod scholiastes voluit, aut optativus activi esse potest; sed cum medii usus apud Aeschylum rarissimus sit (ter cum vi secum reputandi, semel Eum. 133 animadvertendi *λαβέ, φράζου*), usitatissimus activus cum significatione dicendi, activam formam et usu et significatione praestare apparet; sin hoc, unus optativus qui dicitur potentialis desideratur, quem *κἀνεμόεντ' ἄν* cum Blomfieldio scribentes levi et probabili coniectura restituere nobis videmur (*ἄν* rarissime deesse docet Krueger Di. 54. 3. 8; cf. proximum antistrophae versum *τίς λέγοι* sc. *ἄν*); cum eodem Blomfieldio *φράσαις* quoque pro *φράσαι* scribendum est, quia *τὶς* ad *φράσαι* hoc loco suppleri nequit (cf. Krueger 61. 4. 5 et 6). Offensio igitur masculinae adiectivi terminationis, quod ad *κότον* nunc refertur, sublata est. — Restat, ut responsionem antistrophicam restituere coner, quam Hermannum eo quod *βλαστοῦσι* deleret restituere studuisse supra dixi. Sed tamen et *βλαστοῦσι* retinendum esse a scholiasta didicimus neque Weilium secutus vocabulo versui antistrophico addito mendum bene sustuleris; sed quod strophae vocabulum suspectum esset, bene Hermannus, cum *βροτοῖσι* in *βρύουσι* mutaret, divinasse mihi videtur. Neque enim beluas, quae hominibus infestae sint, memorari hic oportet, sed omnes mundi partes, et terra et mare et aether, aut gignere aut completae esse dicuntur beluis, omnium autem immanitatem superare hominem. Quodsi beluae hominibus infestae esse dicerentur, non homines beluarum immanitatem, sed beluas hominum superare suspicaremur, id quod ab hoc loco alienissimum est. Hermanni autem coniectura *βρύουσι* probata et interpretamento *πλάθουσι* amoto omnia sunt plana.

Addere liceat ea adiectiva, quorum genus aliquid singulare habet, quae Kuehner (Ausführl. Gramm. 2. Aufl. Bd. I. § 147) omisit; atque Aeschylea quidem omnia supplevi, sed ab aliis quoque scriptoribus sumpta addere non dubitavi, quae mihi, cum Aeschyleorum genus indagarem, occurrerunt.

§ 147. I. 1. a. adde: *πίσυνος, ον* Sept. 194; *κάρβανος, ον* Ag. 1020; *θέλεος, ον* Suppl. 828. — Adnotationi 1. adde: *δεσποσύναισιν κιόνεσσιν* Pind. P. 4. 267; *τὰς μάργους ὁρᾷς* Eum. 69. — § 147. I. 1. b. adde: *δατήριος, ον* Sept. 692, *δραστήριος* Sept. 1025, *πρακτή-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ριος Suppl. 507, σωτήριος; χρεῖος; αὔξιμος fr. 53, θανάσιμος Ag. 1235, λεύσιμος Ag. 1585, νόστιμος, ὀνήσιμος, πτώσιμος Ag. 1081. —

§ 147. I. 1. b. adnot. 2. α. adde: δέξιος, α, ον; ἑῷος, α, ον; κλάριος, μύχιος Pers. 868, παιώνιος, ψάμμιος Ag. 952. — Corrige δίψιος, α, ον; sed Cho. 179 σταγόνες δίψιοι. — Ad excepta adde: δήμιος, ον; sed Cho. 50 φρενός τε δαμίας; κρυπτάδιος, ον, sed Il. VI. 161 κρυπταδίῃ φιλότητι; νότιος, ον, sed Eur. Hipp. 150 δίναις ἐν νοτίαις; μύχιος, ον sed Pers. 927 μυχίαν πλάκα; ξένιος 3 raro 2; οὔριος, α, ον, sed Soph. Phil. 355 οὐρίῳ πλάτῃ; σχέτλιος, α, ον, sed Eur. Iph. Taur. 651 ὦ σχέτλιοι πομπαί; ῥύσιος 2 et 3; φόνιος, α, ον, sed Suppl. 808 φόνιος ἀποκοπά.

§ 147. I. 1. b. adnot. 2. β. adde: ἀνδρεῖος, α, ον; ἔτειος, α, ον Ag. 2. — Ad excepta adiectiva adde ὄρειος 3 et 2. — Adnotationi 2. γ. adde: ἀκμαῖος, α, ον Sept. 11; ἀρχαῖος, α, ον; βαιός Pers. 443; δηναιός Pr. 795; εὐκταῖος; εὐναῖος fr. 346; ἑρμαῖος Eum. 934; κλοπαῖος Pr. 110; λαιός Pr. 714; πετραῖος Pr. 1023; παλαιός; τελευταῖος. — Ad excepta adde: νάϊος, ον, sed Soph. Ai. 358 ναΐας τέχνας; χερσαῖος 3 et 2. — Adnotationi 3. δ. adde: πένθιμος 2 raro 3.

§ 147. I. 1. c. γ. adde: πλαγκτὸς οὖσα Ag. 571 et corrige περικλύστη Pers. 599, sed ibidem 870 νᾶσοι περίκλυστοι.

Ad γ. pag. 416 adde: ἔγγαιος Pers. 902 τὰν ἐγγαίαν ἥβαν; ἐπάξιος, α, ον Cho. 85; παραίτιος, α, ον Cho. 898, sed fr. 45 ἐγὼ (Ἀφροδίτη) παραίτιος; παράκτιος Pr. 837; προνάϊος Eum. 21 cognomen Minervae; προστατήριος Sept. 430; ὑπερπόντιος Ag. 396. Ad δ. pag. 416 adde: ἄμαυρος, α, ον; ἁρπάξανδρος, α, ον Sept. 757; εὐφίλητος Sept. 103; κιρκήλατος Suppl. 58; μεσήμβρινος; πολύκλαυτος Ag. 1492.

II.

In Cho. v. 619 tractando adnotavimus stropham γ (613—20) et antistropham γ (631—28) esse permutandas. Quod priusquam demonstremus, quae sententia et his ipsis de quibus agitur et proximis strophis contineatur, ita constare necesse est, ut universa sententiarum cohaerentia perspici et iudicari possit. — Ac primum antistropha β et stropha γ quid sibi velint, sine dubio liquet. Antistrophae γ autem versum alterum esse corruptum manifestum est, atque quomodo emendandus sit vehementer adhuc docti dissentiunt. Qui versus in Mediceo sic scribitur:

Cho. 622: γοᾶται δὲ δὴ ποθεὶ κατάπτυστον. Wellauer coniecit γοᾶται δὲ δήποθεν κατάπτυστον; Blomfieldius βοᾶται; Hermannus γοᾶται δὲ γᾶ πάθος κατάπτυστον „terra Lemnia abominandum malum luget"; Weilius Hermanni coniectura bene refutata („sed chorus, inquit, haec etiam extra terram Lemniam perhorresci dicit") ipse scripsit βοᾶται δ' ἀεὶ τόθεν κατάπτυστον, ἤκασεν δέ τις etc. — Ipse certa emendatione locum sanari non posse mihi persuasi; nam neque variae lectiones (cf. Herm. ad hunc locum) aut scholia praesto nobis sunt, neque qualis fuerit corruptorum verborum sententia, ex proximis enuntiatis perspicitur: „Malorum summum esse Lemnium narratur . . . multi aliquid immane (vel hoc Clytaemnestrae immane facinus) cum Lemniis malis contulerunt"; per se igitur inter haec enuntiata nihil desiderari patet. Itaque cum certa emendandi via progredi non liceat, acta ageremus, si coniecturae probabili aliam nostram addere conaremur. Probabiliter autem Weilius locum sanasse mihi videtur: „semper ex illo tempore abominandum esse fama celebratur." Βοᾶται

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pro *γοᾶται* scribendum est, quod et miserandi notio non quadrat et *γοᾶσθαι* ab Atticis medii, non passivi loco usurpari solet.

Deinde ultimi strophae *δ* versus multis suspecti fuerunt:

Cho. 631, 32, 33: *τὸ μὴ θέμις γὰρ οὐ λὰξ πέδον πατούμενον, τὸ πᾶν Διὸς σέβας παρεκβάντες οὐ θεμιστῶς.* M.

Pro *πέδον* Hermannus scripsit *πέδοι*, quod plurimis recte probatur. — Ambigitur adhuc, et quae sit verborum constructio et qui omnem Iovis reverentiam violasse dicantur. Hoc ut prius explanemus, scholiasta (*τὸ γὰρ πᾶν τοῦ Διὸς σέβας παρεξέβησαν ἀθεμίστως οἱ περὶ τὸν Αἴγισθον*) Aegisthum eiusque comites dici putat Iovis verecundiam laesisse, Hermannus unum Aegisthum, ita ut *παρεκβάντος* ei scribendum fuerit, Weilius Aegisthum et Clytaemnestram. Sed mea sententia scholiastae auctoritas, quamvis magna sit in singulis vocabulis, versibus aut etiam strophis restituendis vel explicandis, tamen ad sententiarum conexum, qui latius spectat, interpretandum huius aetatis viris doctis nihil praestat. Aegisthi autem eiusque comitum caedem hic significari, inde haud dubie concludendum sibi esse putavit scholiastes, quod Orestes, antequam hoc carmen recitatur, rationem Aegisthi caedis instruendae uberius descripsit, matris obscure indicavit. Sed quidquid de stropharum ordine iudicamus, unius Aegisthi caedem hoc loco significari, Clytaemnestrae non item, et Lesbiarum scelere poenaque prohibemur statuere et scelestarum mulierum facinoribus toto carmine notatis et quod de Clytaemnestrae imprimis caede universa hac fabula agitur. Adduci igitur nos et cogi, ut amborum caedem cum Aegisthi tum Clytaemnestrae esse dictam censeamus, equidem pro certo affirmaverim. Constructionem autem scholiastes (*λείπει ὁ γάρ, καὶ ἔστιν* et *ἀντὶ τοῦ παρεξέβησαν. καὶ ἔστι μετοχὴ ἀντὶ ῥήματος, ὡς τῷ* (*τὸ* Rob.) *καρπῷ βριθομένη* (Hom. Il. *Θ*. 307)) hanc esse vult: *τὸ μὴ θέμις γὰρ οὐ λὰξ πέδοι πατούμενόν* (*ἐστιν*), *τὸ* (*γὰρ*) *πᾶν Διὸς σέβας παρεκβάντες* (*εἰσὶν*) *οὐ θεμιστῶς.* Atque verbum quod vocatur substantivum saepius ad participium non poni, docent Bernhardy (Wiss. Synt. p. 470) et Kuehner § 354. e. et adn. 1, ut Prom. 188 *οἶδ' ὅτι τραχὺς καὶ παρ' ἑαυτῷ τὸ δίκαιον ἔχων Ζεύς*; Eum. 70 *ὕπνῳ πεσοῦσαι δ' αἱ κατάπτυστοι κόραι*, ubi Hermannus sane lacunam indicat; Eur. El. 538 *οὐκ ἔστιν, εἰ καὶ γῆν κασίγνητος μολών* etc. Neque asyndeton causale exemplis caret cf. Kuehner § 546 p. 864 et Krueger 59. 1. 5. Scholiastae igitur ratio iustis causis impugnari non potest; mirum tamen est, quod tot res singulares eodem loco inveniuntur.

Venio nunc ad id, quod propositum est, ut ordinem strophae *γ* et antistrophae *γ* esse mutandum demonstrem. Stropham *γ* enim, ut vulgo scribunt et ipse in universum supra defendi, insequentis antistrophae sententia perinique excipi, non est cur demonstrem. Ut tamen aliquem orationis processum continuitatemque habeant, Hermannus et Weilius operam dederunt. Hermannus enim *ἄκαιρος* coniciens et omnia verba ab *ἄκαιρος* usque ad *ἄτολμον αἰχμάν* in parenthesin includens hunc esse vult sententiarum conexum: „Quando autem mentionem feci tristium (Althaeae et Scyllae) laborum (intempestivus enim, qui inimicum conubium . . . colit et suspicit . . . . imbelle mulieris sceptrum): malorum maxime celebratur Lemnium.“ Weilius autem, cum Hermannum „haec omnia (*ἄκαιρος . . . αἰχμάν*), quasi secundaria, perperam in parenthesin includentem“ bene refellisset, ipse proposuit hanc fere sententiarum cohaerentiam: „Cum Althaeae et Scyllae immites libidines (*πόνων*!) commemoraverim, taceamne Clytaemnestrae scelus? Minime. Nam talia facinora Lemniarum scelus dis invisa esse docet.“ Sed ne Weilii quidem opinio probari potest; nam idem, quod Lesbiarum scelere demonstratur, nonne ipsis Althaeae et Scyllae facinoribus, quae ante Cly-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

taemnestrae facinus enarrata sunt, comprobatur? Deinde primis antistrophae γ versibus, etiamsi κακῶν δὲ πρεσβεύεται pro κακῶν γὰρ πρεσβεύεται dictum putaveris, vereor ut eius sententiae comprobatio contineatur, quae stropha γ exprimitur. — Mea igitur sententia ut oratio bene procedat, nisi strophis permutatis effici non potest. Sed praeterquam quod frustra viri docti aptum orationis processum sententiarumque cohaerentiam efficere studuerunt, haec habeo argumenta, quibus idem demonstretur. Nam primum ea ira, qua Aeschylus animum nostrum in Clytaemnestram vult imbuere, insequenti Lesbiarum scelere multo magis detestabili mirum quantum minuitur (πρεσβεύεται aut „maxime celebratur" Herm. aut μεῖζον ὀνομάζεται schol.). Deinde v. 621 mentio fit ἀμειλίχων πόνων; sed stropha et antistropha β ne verbo quidem illi immites labores perstringuntur, nisi v. 610 voce ἀπροβούλως Scyllae laborem quendam indicatum vis aut Meleagri atque Nisi labores dici putas, quos tum, cum ille a matre, hic a filia interfecti sunt, pertulerunt; nam horum labores erant illarum scelera, ita ut uno atque eodem facinore necis laboribus obstringerentur interfecti, interfectrices sceleris crimine, cum hoc de quo agimus loco tales commemorari labores liqueat, qui ex illis parricidiis exstiterint; sed enarrantur hi tales labores in Lesbiarum facinore describendo (v. 625 θεοστυγήτῳ δ' ἄγει βροτῶν ἀτιμωθὲν οἴχεται γένος.) Tertium atque id quidem gravissimum argumentum est, quod scholiastes eum, quem restituendum proposui, stropharum ordinem secutus esse videtur; ad versum 619 enim adnotat: ἀθέρμαντον· ἀθράσυντον. διὰ τὸ θράσος γὰρ ᾄδονται αἱ Λήμνιαι; sed quis est, qui eum Lemniarum sceleris ullam facturum fuisse mentionem putet, nisi antea hoc scelus narratum esset? Non respexit profecto exemplum quod sequitur, sed quod praecessit. Haec habui, quibus ordinem strophae γ et antistrophae γ mutandum esse mihi viderer demonstravisse. — At eidem scholiastae, cum v. 624 τὸ δεινόν interpretatus est per τὸ κατὰ Κλυταιμνήστρας, vulgatus stropharum ordo ante oculos versatus esse videtur. Nam si meus ordo probatur, rem non praecedentem, sed insequentem tetigit, id quod ipse ferri non posse supra contendi, cum de scholio versus 617 disputavi. At Lesbiarum scelus prorsus ignotum, priusquam enarratum est, noli conferre cum Clytaemnestrae, de quo toto hoc carmine, tota hac fabula agitur. Ceterum poetae verba ἤκασεν δέ τις τὸ δεινὸν ἂν Λημνίαισι πήμασι, quibus scholium τὸ κατὰ Κλυταιμνήστρας adscriptum est, etsi praecipue ad Clytaemnestrae atrox facinus pertinent, ita tamen dicta sunt, ut simile cuiusvis mulieris scelus designetur.

Sententiarum igitur cohaerentia est haec: „Immanitate famosa est mulierum Thestias, quae suo ipsa filio mortem attulerit. Alia quaedam, Scylla, patrem prodidisse Minois donis corrupta fertur. Facinorum autem summum esse praedicant Lemniarum abominandum scelus, quae maritos necaverunt; in proverbii usum abiit, ut atrox quodvis facinus cum Lemnio comparetur. Nefario parricidio tota gens perit; nulla enim earum veretur, quae dis odio sunt. Quorum scelerum quodnam non iure affero? Sed quoniam immites labores commemoravi, odi infestum Clytaemnestrae et Aegisthi conubium et mulieris in maritum insidias, colo focum sceleribus non pollutum et mulieris consilia factaque ab audacia aliena. Iustitiae autem gladius pectora transfigit; nefas enim non neglegitur: omnem enim Iovis verecundiam iniustissime violaverunt." Animadverte, chorum ordinem quendam atrocium facinorum statuisse: Thestias interemit filium suum, Scylla patrem, Lesbiae autem, id quod omnium summum esse facinus fama celebratur, maritos; ita fit, ut Clytaemnestrae facinus, quae et ipsa maritum trucidarit, in summarum scelerum numero ponatur. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

III.

Agam. 105—107:

ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνέ-ει
πειθὼ μολπᾶν (prima man.; alt. mut. in μολπὰν)
ἀλκὰν σύμφυτος αἰών. M.

Scholiastes adnotavit: ὁ γὰρ σύμφυτός μοι αἰών, ὅ ἐστι τὸ γῆρας, διὰ τὴν εἰς θεοὺς πειθὼ μολπήν μοι καὶ ἀλκὴν καταπνεῖ, ὅ ἐστιν, εἰ καὶ γέρων εἰμί, ὅμως μέλψω τὰ γεγονότα· πέποιθα γὰρ ὅτι εἰς πέρας αὐτὰ ἄξουσιν οἱ θεοί.

Qui de hoc loco disputaverunt, alteri scholiastam secuti σύμφυτος αἰών esse idem quod τὸ γῆρας volunt: „etsi senex sum, tamen cantare possum", ut Hartungius, Weilius, Ahrensius, alii; alteri Hermanno duce et auctore, ἀλκᾷ (pro ἀλκάν) σύμφυτος αἰών significare opinantur temporis spatium cum expeditione coniunctum: „destinatum a Calchante temporis spatium cum expeditione coniunctum mihi fiduciam cantus inspirat, quomodo" etc. — Atque Hermannus ipse ad hunc modum sententias cohaerere vult: „Adhuc mihi fiducia, temporis spatium cum expeditione coniunctum, cantum inspirat, quo augurio suscepta sit expeditio; quod cum dicit chorus, quid aliud indicat, quam adhuc se confidere ratum fore augurium? Cur autem adhuc: Nempe quia destinatum (a Calchante) tempus nondum est exactum. Ex quo manifestum est ad πειθώ per appositionem adiectum fuisse id quo niteretur ea fiducia." Haec fere habet Hermannus. At eius interpretationi et verba et res repugnant; neque enim vocabuli αἰών ea vis, quam vult („temporis spatium") reperitur nisi apud serioris aetatis scriptores (cf. Apoll. 4. 216), neque ἀλκά, ut ait Weilius, belli significat continuationem eo sensu quo dicitur „bellum Troianum, bellum Thebanum." Deinde, id quod maius est, Calchas temporis spatium apud Aeschylum omnino non destinavit. Quod quia contra omnium sententiam, nisi me fallit animus, contendo, uberius demonstrandum est. Aeschylus enim eo loco, ubi vaticinium narrat (v. 126), Calchantem belli spatium non facit destinantem; nam cum dicit vates: χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ Πριάμου πόλιν ἅδε κέλευθος, hoc dicit „aliquando", non „decimo anno hic exercitus Troiam expugnabit"; qui poetam v. 40 δέκατον μὲν ἔτος τόδ' ἐπεὶ Πριάμου etc. annum determinasse censuerunt, certe errore capti erant; ibi enim eum iam esse decimum annum narratur, cum Atridae ad bellum profecti sint, non dicitur eo decimo anno fore ut Troia expugnetur. Atque anno constituto totius fabulae tenorem usque ad nuntii adventum (v. 481) prorsus alium fuisse futurum facile est intellectu; nam si chorus eo anno Troiam captum iri sciret, haec spes in parodo clare exprimenda erat, et cum decimum annum iam adesse dixisset (v. 40), hoc eodem anno exercitum reversurum esse idem uberius et fusius eloqui debuit. At temporis spatii ita inscius est, ut Clytaemnestrae, cum nuntium urbis captae attulisset, fidem non habeat (inde a versu 253), quin etiam illudat eam (v. 455 sequ.); quod eum nullo pacto facturum, immo summa laetitia exsultaturum fuisse, si Clytaemnestrae nuntium cum destinato antea tempore congruere vidisset, quis est qui neget? Hermanni igitur interpretatio probari nequit. — Venio nunc ad eos, qui scholiasta auctore σύμφυτος αἰών esse τὸ γῆρας opinantur. Atque ne scholio nimium vel ad emendationem vel ad interpretationem tribuamus, eo prohibemur, quod est partim absurdum partim vitiosum. Ineptum enim est dicere, senectute choro propter deorum fiduciam tribui cantum et robur (ἀλκά enim non potest significare, quod nonnulli voluerunt, facultatem canendi); et quod scholiastes sub finem scholii dici censet, ea de causa chorum quae Aulide facta sint (τὰ γεγονότα) cantare posse, quod deos ea ad effectum perducturos esse confidat,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

congruere non puto cum poetae verbis *ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνεύει*: „adhuc propter deorum fiduciam ea rata fore confido“, quasi fieri possit, ut post aliquantum temporis iam non confidat. Scholii igitur prima et ultima verba mihi aptam sententiam habere non videntur; quae medio scholio continentur (*εἰ καὶ γέρων εἰμί, ὅμως μέλψω τὰ γεγονότα*) sola praebent eam sententiam, quae impugnari non possit. Quod hanc scholii partem permulti secuti sunt, non reprehendo, reprehendo, quod primam quoque partem amplexi *σύμφυτος αἰών* esse idem quod *ὁ σύμφυτός μοι αἰών, ὅ ἐστι τὸ γῆρας* (schol.) statuerunt. Nam *σύμφυτος αἰών* neque est neque potest esse „cognata aetas i. e. senectus, mein Lebensalter“ (Ahrens). *Αἰών* enim est ipsa hominis vita, illud tempus, quod cum hominis vita coniunctum est, atque vocabulo *χρόνος* opponas velim, quod tempus per se significat vita humana nihil respecta; quantopere inter se differant ea vocabula, Ag. 532 docet *τὸν δι' αἰῶνος χρόνον*. Quae cum ita sint, *χρόνος σύμφυτος, σύμμετρος, ξυνεύδων, συγγενής, ξυνών*, id est *χρόνος ἀνθρώπῳ σύμφυτος, σύμμετρος* etc. bene dicitur; idem contendi licet de vocabulis eiusdem temporis significationis, ut *μῆνες συγγενεῖς* (Soph. Oed. R. 1082). At *αἰών* cum illis quae attuli adiectivis coniungi non potest, quod ipsum est *χρόνος ἀνθρώπῳ σύμφυτος, σύμμετρος* etc. Itaque cum *σύμφυτος αἰών* non sit *σύμφυτος ἐμοὶ αἰών* i. e. *τὸ ἐμὸν γῆρας*, aut *σύμφυτος* est emendandum, ut quis *ἀλκᾶς ὄρφανος αἰών* coniciat, aut, si ea emendatio minus videtur esse probabilis, ut est, tale obiectum ad *σύμφυτος* est restituendum, quod cum senum vita cognatum et coniunctum esse dicatur. Atque si pro *ἀλκάν* M. scribamus *ἀλκᾷ*, quod fuerunt qui conicerent, illud obiectum nos quidem habeamus, sed simul eam sententiam, quam iure ineptam dixeris: „aetas sive senectus cum robore coniuncta“; at pro *ἀλκᾷ* tale vocabulum requiritur, quod contrariam habeat vim: „aetas mea cum imbecillitate coniuncta.“ — Alterutra emendandi ratione locum sanari posse confido; aptam vero coniecturam ipse invenire non potui.

IV.

Septem c. Thebas 754. Hanc stropham sic legendam esse censeo:

τίν' ἀνδρῶν γὰρ τοσόνδ' ἐθαύμασαν
θεοὶ καὶ ξυνέστιοι
πόλεος ὁ πολύβατός τε ἀγὼν βροτῶν,
ὅσον τότ' Οἰδίπουν τίον,
τὰν ἁρπαξάνδραν
κῆρ' ἀφελόντα χώρας;

πόλεος ὁ pro *πόλεως* M. est Hermanni et Dindorfii, *πολύβατος* pro *πολύβοτος* Blomfieldii, *ἀγών* (i. e. *ἀγορά*) pro *αἰών* Weilii coniectura. Sed has emendationes defendere mihi non est propositum, proposui, ut vocem *θεοί*, quam permulti suspectam iudicarunt, veram esse lectionem neque ullam coniecturae causam esse demonstrarem. — Iam primum quae viri docti reprehenderint ut videamus, Weilius „se non intellegere fatetur, quid sit, quod di Oedipum admirati esse dicantur, neque cur haec deorum admiratio uno verbo absolvatur, cum hominum admiratio multis amplificetur;“ quibus de causis scripsit *θεράπναι ξυνέστιοι* et in Addit. ad Persas p. 130 *δόμοι τε ξυνέστιοι*. Meinekeus Weilii causas secutus coniecit *ὅσοι καὶ ξυνέστιοι*. Oberdickius (Beitrag zur Erkl. u. Krit. d. Aeschylus, Gymn.-Progr. Glatz 1870) *πρόμοι τε ξυνέστιοι*; ea enim de causa *θεοί* servari non posse affirmat, quod

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dii exitiabilem futurum esse Oedipi rerum exitum haud ignorantes eum admirari non potuerint; accedere, quod et Laius dis, imprimis Apollini invisus fuerit et omnis eius progenies. Weckleinius (Studien zu Aesch.) *θεοί* non esse genuinum cum plerisque consentit; chorum de rebus notis admonere, nihil de deorum opinione eum comperisse; neque deos hominum splendore ac gloria decipi; id autem vocabulum desiderat, quod sit contrarium vocabulo *ξυνέστιοι*, scribitque *ὀθνεῖοι, ξυνέστιοι*. Paleius *ξένοι καὶ ξυνέστιοι*; Daviesius (in Paleii edit. ad hunc locum) *ἑορταὶ ξυνέστιοι*; postremo nescio quis *φίλοι τε ξυνέστιοι*. —

Age vero videamus, num qua ex his septem coniecturis opus esse videatur. Sed prius ne verbo *ἐθαύμασαν* nimium tribuamus monendum esse censeo; nam poetam eadem fere esse voluisse vi hoc verbum, quo est *τίον*, facile inde cognoscimus, quod di Oedipum ipsum non dicuntur admirati esse, sed coluisse (*ὅσον τότ' Οἰδίπουν τίον*). Licetne igitur contendere, illis temporibus et religionibus homines a dis honoratos vocari potuisse, etiamsi scelere aliquo sibi ipsis ignoto polluti essent? Vel potius possuntne cives Oedipum, quem per viginti vel plures annos et in rebus secundissimis vixisse et pium in deos fuisse constat, honoratum a dis laudare? Noli nostris religionibus imbutus negare, Graecorum deos, cum omnia scirent, eum hominem colere potuisse, qui inscius scelus in se admisisset; immo illos deos ne Tantali quidem facinora praevidisse constat. Accedit, quod chorus pro hominum sapientia loquitur. Antequam Oedipi scelus compertum haberet, iustissime chorus eum, qui terram Sphingis peste liberaverat, qui urbem per tot annos sua opera florentissimam reddiderat, qui tot tantisque rebus bene gestis se ipsum beatum deorumque quasi delicias praestiterat, a diis dilectum honoratumque praedicare potuit. Nam unde deorum gratia illis temporibus conspiciebatur, nisi ex rebus secundis, utpote quae solae ab hominibus conspici, audiri, animadverti possent? Quod Weckleinius chorum de rebus notis admonere nos dicit neque quicquam de deorum opinione comperisse eum affirmat: erat haec deorum opinio choro nota, quatenus nota esse poterat; nam cum rebus Oedipum honorarent, verbis opus esse non videbatur. Sed aliud atque multo gravius argumentum praesto est, quo *θεοί* defenditur. In Agamemnonis enim versu 1297 de rege quinto versu ante primum eius clamorem dicitur: *θεοτίμητος δ' οἴκαδ' ἱκάνει*. Chorus igitur Agamemnonem ab diis honoratum revertisse praedicat, etiamsi in parodo eum sanguine filiae nefando se respersisse narraverat atque gloriae eius urbibus devastatis partae invidere se negabat (v. 440 *τῶν πολυκτόνων γὰρ οὐκ ἄσκοποι θεοί* et 451 *μήτ' εἴην πτολιπόρθης*), etiamsi sanguinem semel profusum nunquam revocari sciebat (v. 981 *τὸ δ' ἐπὶ γᾶν πεσὸν ἅπαξ θανάσιμον προπάροιθ' ἀνδρὸς μέλαν αἷμα τίς ἂν πάλιν ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων*;) atque post ipsa illa verba supra laudata fieri posse significat, ut maiorum parricidia rex sua morte luat. Itaque si illa verba, quae de Agamemnone dicuntur neque reprehenduntur, offensioni non sunt, ea quae de Oedipo dicta sunt, iniuria impugnantur. — Quodsi *θεοί* servamus, et dii et familiares et cives Oedipum coluisse dicuntur, ubi Sphingem sustulerit; quod Weilius intellegere se non posse fatetur, cur deorum admiratio uno verbo absolvatur, cum hominum admiratio multis amplificetur, his talibusve causis non multum tribuendum est, si modo eam causam nominare velis, non opinionem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf